1686

Viro perillustri

CONSTANTINO CONSTANTINI FILIO HUGENIO

S. P. D.

Joannes Georgius Graevius.

RYKS ARCHIEF

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perpetuae meae singularisque in Te observantiae pignus mitto tres Meursii libellos postumos, mea cura in lucem ex latebris bibliothecae Regis Sueciae protractos, & Tibi inscriptos. Non potui enim Tibi debere diutius, cum tam bella se offerret occasio, hoc gratae voluntatis monumentum, pro prolixo tuo in me studio, tot luculentis significationibus mihi a longo tempore maxime testato. Celebritas Meursiani nominis & operum, omnibus eruditis probatorum, id longe reddet illustrius & perennius, quam si spicam ex jejuno fundo meo decerptam Tibi obtulissem. Quod si tanta comitate has diatribas exceperis, qua me solitus es tractare, non operam in illis edendis me lusisse putabo. Sed magis laetabor, si aditum ad tuam benevolentiam quasi patefecerint nobilissimis viris, magni Salmasii filiis, quos dira illa tempestas Gallica tanquam naufragos, & omnibus bonis ac possessionibus nudatos, in nostras oras eiecit, ut plures alios. Major natu, Dominus S. Lupi, in praetorio gentilitio in Burgundia sibi & Musis cum uxore nobilissima vivebat.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0550

minor natu militiae nomen dederat, centurionis personam gesturus,
si fata sivissent. Sed nunc exorres communium sacrorum caussa,
dignissimi sunt non solum propter memoriam patris, viri summi, qui
Leidensem Academiam splendore nominis sui mirifice illustravit,
sed & propter virtutes, quibus ipsi ornantur, qui respiciantur piae
misericordiae humanitate, & his, quibus conflictantur, incommodis
levantur. Serenissimus Princeps Arausionensis ante plures menses Domino
Sancti Lupi spem fecit annui stipendii modici in tutelam familiae
obtinendi apud Curatores Leidensis Academiae; sed nondum
Invenit faciles in sua vota Deos.
Multum praesidii sibi positum esse statuit in Tua bonitate, & properta
in omnes bonos, & optimis artibus deditos voluntate. Quod si, cum
fuerint mollia fandi tempora, dignatus fueris Serenissimum Principem
compellare, & illorum caussam orare, ut ille Curatoribus Leidensibus
commendetur, junior vero in centurionum Gallicorum reformatorum,
ut loquuntur, numerum referatur, nam centurionatus diploma in
Gallia jam paratum erat, quod tamen postea temporum & hominum
injuria intercepit, maximo beneficio Tibi incomparabilis vir filios
afflictissimos devinctos ad omne genus obsequii, ego vero quicquid

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0550

in illos conferes in me collatum esse, pro meo erga Salmasianum nomen studio, existimabo. Alterum exemplum Meursianorum opusculorum maximo parenti tuo, tertium Christiano fratri tuo, Mathematicorum principi, meo nomine ut reddas, salutemque & officia mea eis ut deferas rogo. Vale vir nobilissime & me amare perge. Trajecti D. XXVII Novemb. CIↃ IↃC LXXXVI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0550